



**Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

Elegia V. Timor diuinus Magdalenam mortis admonet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

MAGDALENA PECCATRIX.

Ex aliis alias victor transcurrit in oras.  
Non timet vlla sacer fata vel arma timor.  
Ni prece vel pretio perrumpat ahenea victor  
Pectora, fulmineis subruet illa minis:  
Atque adeo hunc viridi depellet ab arce tyrannū;  
Qui flammat iaculis myrtea regna suis.

ELEGIA V.

*Timor diuinus MAGDALENAM  
mortis admonet.*

MAGDALIS ad myrtum (Veneri gratissi-  
ma myrtus)  
Sedit, & ab vitro parturit orbe decus.  
Assurgit turritus apex, fastumque superbā  
Fronte struit, stringit lactea bacca comas.  
Osque atro stibio, sputoque venenat & ostro;  
Mentitusque genas fucus adulter obit.  
Sæpè genas Dryades, vultus hos sæpè Napææ  
Miratae; hic celeres sustinuere choros.  
Formosæ Dryades, formosâ fronte Napææ:  
Sed pretium formæ Magdala sola tenet.  
Hæc inter fusca quis nescio canus in umbrâ  
Astigit: an fallor? mortis imago fuit:  
Seu potius leti timor; ales arundo sinistrâ  
Cui tremit, & dextrâ clepsydra fracta sedet.  
Ille manu mulcens humeros comêtis, & umbrâs  
Ora, leui dixit murmure: Come caput;  
Magdala come caput, variisque resinge figuris.  
Vnica te mortis pallida larua manet.  
Pingue caput violis, variisque repinge lapillis;  
Nil faciet cineri picta corolla tuo.

A 7

O quan-

O quantum est auri, pereat: ne splendeat auro  
Isacis, Isacios fallere nata procos.

Quid iuuat aurato formæ decus addere mundo?  
Ut decor abstiterit, ruga recurret anus.

Omnia mutantur, formæ & mutantur honores:  
Quod modò flos, floris mox cinis ater erit.

Quid fidum infidâ vroueat flos vernus in aurâ,  
Cui tremit è tremulo pendula vita pilo?

Nunc vbinâ Rachel, Rachelisq; aureus heres?  
Nunc vbinam Saræ iuncta Rebecca suæ?

Nunc vbinam Iudith, & gloria Persidos aulæ?  
Aut vbi nunc æui gratia prima tui?

Arbor ut ista comans virides iam ponit honores:  
Sic abit & formæ gratia fluxa tuæ.

Non est de nihilo (vah quām sapit inscius error!)  
Crystallo è fragili picta quod ora legas.

Cerne, tuæ speculum stat imago parissima vitæ:  
Tunde manu; vitrei dissilit orbis honos.

Te simul attigerit nigra falx necis, aura, vel ignis;  
Ilicet icta cauâ vita recumbit humo.

Sis memor; est aliud mens quod præлага futuri  
Augurat, & fati conscia cura legit.

Tempus erit, cùm de lacrymis tibi fusile duces  
Crystallum, ac calidis te dolor vret aquis.

Teque nouo speculo contemplans pallida, dices:  
Vah ego quām soli discolor umbra meo!

Et quām non hæc forma meo respondet I s v l  
Pulcher honor I e s v s: Magdala tota probri.

O quoties torto cirratos angue capillos,  
Monstraque, & horrificis ora perusta notis,

Arguet hic vitreus Momus sub sole magistro,  
Et dicet: Tepidis dilue spectra genis.

Dilue;

Dilue, monstrificasque feras erade seuerum  
 Ad speculum: castis flumina funde genis.  
 Scilicet est aliquid puro sibi querere fletu  
 Balnea, dum Stygio vita stat hausta luto.  
 Forsitan extinguet calidis mors Magdalin vndis;  
 Sed fœdam, ut niueis viua resurgat aquis.  
 Tunc demum poteris puris innectere labris  
 Oscula, ut innectas vincula casta Deo.  
 Sic alium ex alio mens induet altera vultum;  
 Et tibi te reddet, qui benè perdit, Amor.  
 Hæc inter docili crystallo consule vultum,  
 Et dic: Par fragili forma stat ista vitro.  
 Nil mihi cum speculo, speculiique fugace figurâ:  
 Mox speculum è lacrymis stabo perenne meis.

## E L E G I A V I.

*Timor dininus MAGDALENAM per-*  
*culis septam eripi rogat.*

MAGDALA myrtigenâ vultum dum fingit  
 in vmbra,  
 Prætexit speculo retia cœcus Amor.  
 En tacitæ serpunt captiuo in corde catenæ,  
 Quas serit infidâ Cypris amica manu.  
 Nectitur, & nescit, sidens in compede leti  
 Magdalæ, anguineis pectora capta dolis.  
 Nunc erat infestis ferus hostis ut occupet armis  
 Magdalin, aut blandis induat ille plagis.  
 Iamq; hiat in morsum rabido tigris aspera rictu,  
 Et falcem allidit mors violenta suam:  
 Ac vastam labes dirumpit hiulca Charybdim:  
 Oscitat ad Stygias ianua panda domos:

Le: